



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 22. Aquisgranense dissidium inter Catholicos, & Protestantos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI.

§. XXII.

A.C. 1589.*Aquisgranense diffidium inter Catholicos, & Protestantes.*

Thuan. l. 96. **I**nsuper alia Aquisgrani Catholicos inter, & Protestantes altercatio suscitabatur, qua hujus Urbis tranquillitas plurimum turbata fuerat; cum enim hæc civitas Belgio vicina esset, & ob privilegia a Carolo Magno Imperatore concessa ingenti, amplaque frueretur libertate, hinc omnes Protestantes Belgæ ex sua patria ob sectam ejecti ad hanc urbem confugerant, rebusque suis eo transvectis ibidem firmam sedem fixerant, adeo, ut Catholicis numero plurimum prævalerent, eisque leges præscribere auderent: hac autem potentia freti ad fundendas pro more suo preces, suorumque Ministrorum declamationes percipiendas cætus habere propria auctoritate incipiebant: verum Cæsar æquis Catholicorum querelis deferens severa admodum edicta contra Protestantes promulgabat, quorum tamen executionem hæreticorum petulantia vix non eludebat: postea vero Parmensis Dux Catholicorum patrocinium in se suscipiens Philippum II. Hispaniæ Regem eo induxit, ut pariter contra Belgii Protestantes Aquisgranum profugos edictum quoddam promul-

mulgaret. Annuit Rex, eisque in hoc Sæcul. XVI.
A.C. 1589.
 edicto exprobrabat, quod spretis Cæsaris mandatis contra pacta, quæ de veteri Religione facta, testaque servanda, nec aliis novis admittendis cum ipso inierant, nunc Catholicam, Apostolicam, Romanam religionem abolere, perniciosamque Calvinianam sectam, aliasque novas introducere, Senatūque ex hominibus suæ factioni addictis constituere, necnon subditos ipsius e Belgio exulantes recipere præsumpissent.

§. XXIII.

*Philippi II. edictum contra Protestantē
 tes e Belgio Aquisgranum
 confugientes.*

Propter has, aliasque rationes Thuan. *ibid.*
 Philippus Rex eisdem denunciabat, quod eis privilegia omnia, libertates, immunitates, quæ a Brabantia, & Limburgi Ducibus acceperunt, adimeret: insuper declarabat, quod tunc, dum subditis suis e Belgio discedendi, & in locis liberis, atque neutri parti addictis habitandi, ac bonis suis fruendi potestatem fecit, nunquam hujus opinionis fuerit, ut in urbe Aquisgranensi commorari possent: itaque mandabat Rex, ut aut domum redeant, Majorum in Religione ibidem victuri, aut
 saltem